



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

VII. De correctione excessuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
 CHRISTI  
 1215.

rint faciant obseruari, publicantes ea in episcopa-  
 libus Synodis annuatim per singulas dioeceses ce-  
 lebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum  
 neglexerit adimplere, a suis beneficiis & executio-  
 ne officii suspendatur, donec per superioris arbi-  
 trium \* eius relaxetur.

\* for. eius  
 suspensio

VII.

Irrefragabili constitutione sancimus, vt eccle-  
 siarum prælati ad corrigendum subditorum exces-  
 sum, maxime clericorum, & reformandum mo-  
 res, prudenter & diligenter intendant, ne sanguis  
 eorum de suis manibus requiratur. Vt autem cor-  
 rectionis & reformationis officium libere valeant  
 exercere, decernimus vt executionem ipsorum  
 nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire,  
 nisi formam excefferint in talibus obseruandam.

Excessus tamen canonicorum ecclesiæ cathe-  
 dralis, qui consueuerunt corrigi per capitulum,  
 per ipsum in illis ecclesiis (quæ talem hæctenus con-  
 suetudinem habuerunt) ad commonitionem vel  
 iussionem episcopi corrigantur infra terminum  
 competentem ab episcopo præfigendum. Alio-  
 quin extunc episcopus Deum habens præ oculis,  
 omni contradictione cessante, ipsos, prout anima-  
 rum cura exegerit, per censuram ecclesiasticam  
 corrigere non postponat. Sed & alios eorum ex-  
 cessus corrigere non omittat, prout animarum  
 causa requirit, debito tamen ordine in omnibus  
 obseruato. Ceterum si canonici absque manifesta  
 & rationabili causa, maxime in contemptum epi-  
 scopi cessauerint a diuinis, episcopus nihilo minus



si voluerit, celebret in ecclesia cathedrali, & metropolitanus ad querelam ipsius tamquam super hoc delegatus a nobis, taliter eos per censuram ecclesiasticam cognita veritate castiget, quod pœnæ metu talia de cetero non præsumant.

Prouideant itaque diligenter ecclesiarum prælati, vt hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ, vel grauamen aliud non conuertant, sed illud studiose ac fideliter exequantur, si canonicam voluerint effugere vltionem, quoniam super his apostolica sedes, auctore Domino, attentissime vigilabit.

## VIII.

Qualiter & \* quomodo debeat prælatus procedere ad inquirendum & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus noui & veteris testamenti colligitur euidenter, ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones, sicut olim aperte distinximus, & nunc sacri approbatione Concilii confirmamus. Legitur enim in euangelio, quod villicus ille qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audiuit ab illo: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.* Et in Genesi Dominus ait: *Descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerunt.* Ex quibus auctoritatibus manifeste comprobatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum prælatus excedit, si per clamorem & famam ad aures superioris peruenit, non quidem a maleuolis & maledicis, sed a prouidis & honestis: nec semel tantum sed sæpe (quod clamor innuit, & diffamatio manifestat

Luc. 16.

Genes. 18.

stat